

QK. 209, 28

(8)  
Pi  
1282









6  
PROPOSITIONES

DE VERA PRÆ-  
SENTIA CORPORIS  
ET SANGVINIS IESV  
CHRISTI, IN COE-  
na Domini,

Quas

DEO IUVANTE, ET SPIRITVM  
suum sanctum largiente, defendet Tilemanus  
Heshufius Theologiæ D. & Profef.  
in illustri Acad. Iulia.

Respondente

REVERENDO VIRO DOMINO  
M. Basilio Satlero, Ecclesiæ, quæ est Helmstadij  
Pastore, pro consequendo gradu Do-  
ctorum in Theol.

5. Octob.



HELMSTADII  
Typis Iacobi Lucij Transyluani.  
M. D. LXXXII.

Q. N. 209.

Dist. III, 799.







# PROPOSITIONES DE COENA DOMINI.

I.



Vigenitus Dei filius Dominus noster IESVS CHRISTVS, certamen omnium difficilimum subiturus, in quo luctans cum ira DEI, morte, & toto regno peccati, futurus erat victima pro genere humano: & sanguine suo iram Dei, nostris provocatam peccatis, placaturus: immensi sui erga nos documentum amoris evidentissimum nobis reliquit: dum sacram coenam instituit, in qua suum corpus & sanguinem nobis distribuit: vt testetur quod in nobis habitare, & nos ad vitam aeternam sustentare velit.

2.

Quod verus coenae Dominicae vsus, congruens cum institutione authoris, & incorrupta doctrina de hoc salutari Sacramento, in hunc vsq; diem in Ecclesia conseruatur, inter tot haereticorum praestigias, & impuri Spiritus omnem eius memoriam summo studio delere conantis furores, firmum est testimonium, filium Dei sedentem ad dexteram Dei patris, adesse suae sponsae: reprimere hostium conatus: & de caelo suam tueri veritatem.

3.

Ac magnae nobis consolationi est quod scimus, semper in Ecclesia, vsq; ad gloriosum filij Dei aduentum e

A 2

coelis



coelis, & legitimum vsum coenæ Dominicæ, & sanam de ea sententiam, quam ipse author huius foederis sua voce exposuit, mansuram esse & conseruatum iri: etiam si virulentissimi hæretici à suo magistro varijs instructi dolis, omnes ingenij neruos intendant: & sine modo calumnias & fraudes contexant. Spiritus sanctus enim per Paulum Apostolum inquit, 1. Corinth. II. Quotiescunq; enim comederitis hunc panem: & hoc poculum biberitis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.

4.

Promissione ergo suauissima significauit Spiritus sanctus, neq; Ecclesiam Christi veram vnquam interituram: neq; sanam de coena Domini doctrinam sophismatum præstigijs aut furoribus mundi extinctum iri.

5.

Etsi autem hæc insignis consolatio, & gratissima est piæ menti & certissima: non tamen propterea licet nobis animum abijcere in foedam securitatem, quasi nihil nobis sit periculi ab aduersarijs: quin potius, cum fides nostra indubia fiducia fulciatur: & tanto flagrantiore studio doctrinæ huius puritatem tueri: & alacriori Zelo præstigatorum corruptelas refellere: & ardentiore pectore Dei clementiam implorare debemus: vt doctrinam suam de sacra coena illibatam, & salutarem eius vsum ab omni fermento humanæ traditionis immunem, cum ipsius vera authoris prima institutione congruentem, inter nos conseruare dignetur.

6.

Te ergo vnigenite fili Dei Iesu Christe *μεσίτη καὶ ἰκέτη ἡμῶν*, qui sedes ad dexteram maiestatis æterni Dei, vt sis caput, defensor & perpetuus tuæ Ecclesiæ custos: qui clemen-



clementissimè promifisti Spiritum tuum S. omnibus te inuocantibus: & sancto tuo ore dixisti: ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consumationem seculi, Matth. 28: ardenti pectore inuocamus: ne te subducas à nobis: neq; subtrahas nobis Spiritū tuum S. in hac senectā & canicie nostra, cum cœpit deficere virtus nostra: furor verò & impudentia nostrorum aduersariorum maiorem in modum augetur; sed potius dies noctesq; adsis nobis: tuere tuam veritatem, quam de cœlo patefecisti: pudore & ignominia suffunde hostes tui Testamenti, qui *παραλογίαις* simpliciorum mentes à tua veritate seducunt: te sanctum Deum mendacij arguere non verentur: & Ecclesiam tuam multis miserijs grauiter onerata scindunt quotidie: perturbant: & nouis conficiunt vulneribus: illumina verò nostras mentes, rege, iuua & doce nos: captiua etiam rationem nostram in obsequium tuum: & inspira nobis constantem fidem, vt posthabitis omnibus præstigijs & sophismatibus, in sancta & æterna tua veritate acquiescamus.

7.

Primum varias huius Sacramenti appellationes consideremus. Spiritus sanctus, I. Corinth. II. vocat *δῆμιον κυριακόν* cœnam Dominicam: causa satis manifesta est: quia à Domino hæc sancta cœna instituta est: & in ea ipse verè præsens est: & salutem suorum operatur. Ac omnino hæc Domini cœna ab alijs cœnis est distinguenda: eodem sensu Apostolus Paulus *τραπέζην κυρίου* mensam Domini vocat, I. Corinth. 10.

8.

Iræneus lib. 4. Tertullianus de præscriptione aduersus hæreticos. Eusebius lib. 6. cap. 43. & alij ad-

A 3

pellant



pellant *εὐχαριστίαν* gratiarum actionem: haud dubiè quia Euangelistæ in descriptione huius cœnæ dicunt *καὶ εὐχαριστήσας ἔδωκεν αὐτοῖς*: gratias agens dedit illis: Et decet nos in vsu huius cœnæ gratias agere Deo pro redemptione generis humani facta sanguinis effusione. Iræneus inquit Eucharistia duabus rebus constat terrena & cœlesti, lib. 5. Tertullianus de corona militis adpellat Eucharistia Sacramentum.

9.

Epiphanius lib. 3. in compendio doctrinæ Apostolicæ *συναξιν* adpellat à congregatione fidelium: quia pij conuenire solent ad participationem cœnæ Dominicæ: Paulus inquit *συνερχομένων ὑμῶν ἐπὶ τὸ αὐτὸ* conuenientibus vobis in vnum. Epiphaniij verba sunt: *συνάξεις ἢ ἐπιτελεσμένοι ταχθεῖσαι εἰςὶ δὸτὸ τῶν δόξασάν τετραδί καὶ προσεβότῳ ἢ κυριακῇ*, pag. 466. h. e. Ecclesiæ conuentus agunt: & cœnam Domini celebrant, vt ab Apostolis ordinatum est feria quarta & sexta, & die Dominico: Sic & Chrysostronus vocat Synaxin Homil. 18. in acta Apostolorum.

10.

Græci etiam *λειτεργίαν* adpellârunt cœnam Domini: generalem ministerij publici adpellationem ad partem eius accommodantes: fortassis occasionem sumpserunt ex loco Actorum. 13. *λειτεργούντων αὐτῶν τῷ κυρίῳ*, id est, ministrantibus ipsis Domino. Ignatius epistola 2. *λειτεργῶντες αὐτῷ λειτεργίαν καθαρὰν καὶ ἄμωμον* pura & irreprehensibilia sacra ipsi administrantes.

II.

Tertullianus in apologetico dicit cœnam Domini vocari *ἀγάπην*. h. e. dilectionem: eo quòd inopes isto refrigerio iuuentur. Et sanè mutua dilectionis admonet  
nos



nos hæc *κοινωνία* corporis Christi: sed appellatio est generalior.

12.

Græci *προσφορὰν καὶ θυσίαν* adpellant cœnam Domini: quod Latini imitati nominarunt oblationem & sacrificium. Quod verò Pontificij Idolatræ hinc commenti sunt, in sacra cœna offerri Deo patri corpus & sanguinem Christi, pro redemptione animarū: pro viuis & mortuis: & cœnam esse sacrificium *ἱλαστικόν*, in eo patribus faciunt iniuriam: & toto cœlo errant: & cœnam Domini extrema afficiunt contumelia.

13.

Aliæ enim sunt causæ, propter quas veteris Ecclesiæ Doctores sacram cœnam adpellârunt sacrificium & oblationem: nimirum quod ditiores in vsu cœnæ afferebant panem, vinum, frumentum, pecuniam, quibus iuuabantur inopes: tum quod Deo offerebantur sacrificia iusticiæ & vituli labiorum, vt Ose. loquitur. h. e. sacrificia *εὐχαριστικά καὶ θυσίαι πνευματικά*. Ad ipsa igitur pietatis officia, quæ à pijs præstabantur in vsu cœnæ, adpellatio potius oblationis referri debet, quam ad cœnam. In can: Apostolorum 8. Si quis Episcopus *προσφορᾶς γενομένης* non communicauerit causam exponat. In Synodo Gangrensi Can. 4. *εἰ τις διακρίνοιτο παρὰ πρεσβυτέρου γεγαμηκότῳ, ὡς μὴ χρῆναι λειτουργήσαν τῷ αὐτῷ μεταλαμβάνειν προσφορᾶς ἀνάθεμα ἔστω.* h. e. Si quis dubitat à presbytero coniugato oblationem accipere, quasi non liceat ei administrare, anathema fit. Et in Synodo Nicena can: 13. *ὁ Ἐπίσκοπος μετὰ δοκιμασίας μεταδίδωτω προσφορᾶς .i.* Episcopus facta exploratione morituro impertiat cœnam Domini.

Reperi-



Reperiuntur passim & aliæ adpellationes, vt mystica benedictio apud Cyrillum: mysteria diuina apud Basili-um: mysticus cibus apud Theophylactum: tremenda mysteria apud Chrysoctomum: sed hæ & aliæ generalio- res sunt. Nam & Baptismus diuinum est mysterium. Omnium conuenientissima est, qua Spiritus sanctus vti- tur, qui adpellat cœnam Domini: κοινῶν τῶ σώματι & καὶ αἵματι τῶ κυρίου, communionem corporis & sanguinis Christi.

Coena Domini est sacra actio ab ipso filio Dei domi- no nostro Iesu Christo in nouo Testamento instituta: in qua pane & vino benedictis omnibus, qui iuxta ipsius in- stitutionem hac sacra cœna vtuntur, verè exhibet sub- stantiale corpus suum manducandum, & verum sangui- nem suum bibendum: non solum fide Spiritualiter: sed & ore corporis sumendum: ita vt digni & indigni corpus & sanguinem C H R I S T I percipiant, licet magno di- scrimine: in testimonium & pignus, quod corpus suum pro nobis tradiderit: & sanguinem suum in remissionem peccatorum nostrorum effuderit: quodq; in nobis ha- bitare: & nos ad vitam æternam sustentare velit: vtque omnia regni sui beneficia nobis adplicet: & in nobis ad salutem sit efficax.

Ac quia nunc in Ecclesia Iesu Christi controuerti- tur, quid nobis exhibeat filius D E I in sacra cœna: an symbola tantum & signa absentis corporis sui: num cor- poris sui virtutem, efficaciam, vim & vigorem imperti- at per fidem, an verò pane benedicto ipsam corporis sub- stantiam







sæpè testati sumus nos non fingere localem inclusionem corporis Christi in pane : fatemur enim apertè & ingenuè, nobis incognitum esse modum, quo adsit corpus Domini in coena: tantùm quod verè adsit substantia corporis Christi submissè credimus filio Dei. Horrendum est igitur quod Calvinianos non pudet tandem tam manifestæ calumniæ, qua vt ipsi ineptiunt, impanationem obijciunt.

20.

Deliræ & furiosæ mentis esset adserere personalem unionem corporis Christi & panis: λόγος humanam naturam ex virgine Maria adsumtam hypostatica vnione sibi vniuit, non panem nec vinum: Neque quisq̃ nostrorum Doctorum adeò delirauit, quod ego sciam, vt huiusmodi commentum in medium protulerit. Quæ ergò petulantia & calumniandi libido adeò transfuersos agit Calvinianos, vt quod in ipsorum natum est cerebro, alijs adfingere non vereantur?

21.

Diuersissimi loquendi modi sunt, Verbum caro factum est: Iohan. 1. Et panis benedictus est verum corpus Christi, licet vtrobique prædicatio sit inusitata.

22.

Ἀπειθεσίαν improbamus: non enim iussit Dominus, vt panem adoremus, sed vt manducemus. Neq; tantùm damnamus pontificiam panis consecrati circumgestationem & adorationem: Verùm etiam expressè negamus panem benedictum in vsu coenæ inuocandum esse. Etsi enim filius Dei hoc medio vtitur, vt exhibeat nobis corpus suum manducandum: tamen panis est & manet creatura: neq; vnitur personali vnione Christi corpori.

Funes



Funes ex arenis neētunt aduersarij, cum sic argumentantur: corpus Christi vnitum λόγῳ adorandum est: sed panis benedictus in vfu cœnæ est corpus Christi, vt adferitis: ergo panis adorandus est. Non enim cohærent partes sylogiffimi, cum diueriffimæ sint prædicationes, illa regularis, hæc inufitata. In quem finem filius Dei panem adpellauerit suum corpus, verba institutionis cœnæ ostendunt, nimirum vt manducemus eius corpus. Non ergo licet nobis vltcrius progredi fingendis opinionibus, quàm Dominus nobis præiuit verbo.

Ipsum Dominum nostrum Iesum Christum Deum & hominem, ad dexteram Dei sedentem, & in sacra cœna, quæ in terris administratur, præsentem, ac corpus & sanguinem suum in pane & in vino nobis communicantem, in spiritu & veritate inuocamus, cum omni tempore, tum etiam in actione cœnæ Domini.

Figmentum de Capernaitica manducatione reijcimus ad authores: corpus Christi non scinditur in partes: neq; manducatur vt caro, quam in macello emimus: sed cœlesti, arcano, spiritali & nobis planè incognito modo: verè Christi sumitur corpus: quia nefas est dubitare de verborum Christi veritate.

Explodimus pontificiorum figmentum de durabili mansiōe corporis Christi in pane etiam extra cœnæ vsum: sunctionem enim panis & vini mandauit filius Dei: non iussit reponi, nec circumgestari, nec adorari.



Sententia illa: Nihil habet rationem Sacramenti, extra usum à Christo institutum, si candidè & sincerè, sine cauillatione, de ipso usu & sumtione mandata intelligatur, vera est: Quando verò à Calvinianis detorquetur ad sumentium fidem, quasi illis, qui sine fide accedunt ad *εὐχαριστία*: cœna Domini non sit corpus & sanguis Christi: neque verum Sacramentum: cauillationem explodimus: calumniam regulæ detestamur.

*Πανταχούσιον* corporis Christi, vt passim sit, in omni ligno, herba, lapide, pariete, animantibus & omnibus creaturis, non adserimus: Religio enim est nobis quicquam adserere in doctrina pietatis, de quo non extat expressum & perspicuum verbum Dei. Ratiocinationes in causa fidei, nisi probè & accuratè munitæ sint: & testimonijs scripturæ nitantur, plerunq; fallunt.

Neque nos in Ecclesia ad probandam veram præsentiam corporis Christi in sacra cœna themate illo indigemus, tanquam fundamento: Quod Christi corpus sit vbique: sat fundamentorum habemus in perspicuo & expresse Iesu Christi verbo: quem scimus veracem & omnipotentem esse, vt paulò post indicabimus.

Calumnijs remotis & deterfis, sententiam nostram planè & perspicuè proponimus. Adfirmamus in sacra cœna Domini, quæ iuxta mandatum filij Dei in Ecclesia administratur, panem benedictum esse verum & substantiale Iesu Christi corpus: quod pro nobis est traditum:



tum : & vinum benedictum esse verum & substantialem sanguinem Iesu Christi, quem in remissionem peccatorum nostrorum effudit.

31.

Credimus pane benedicto in sacra coena exhiberi & manducari verum corpus Christi, non solum per fidem spiritualiter, mente in coelum sublata: sed etiam ore corporis sumi verè praesens corpus: Et vino benedicto exhiberi & bibi verum Christi sanguinem, non solum fidei corde, sed etiam ore corporeo sumi verè praesentem sanguinem.

32.

Non solum digni, verè pij & sincera fide praediti: sed & indigni, hypocrytae, ἀθεοι & à fide salutari alieni, cum sese piorum coetui miscent: & ad sacram Synaxin admittuntur, manducant corpus Christi: & bibunt eius sanguinem: sed hi ad iudicium: illi ad fidei suae confirmationem.

33.

Quod Calvinus contendit, offerri quidem indignis corpus Christi, sed repudiari ab illis, & non percipi, falsum est. Sacramentorum enim substantia & veritas, ut non pendet à dignitate sumentium: ita neque indignitate utentium euertitur.

34.

Causae nostrae probationes non petimus ex peregrinis locis, sed ex ipsis verbis institutionis sacrae coenae: nimirum; hoc est corpus meum: & hic est sanguis meus: neque dubitamus haec verba vnigeniti & omnipotentis filij Dei Iesu Christi esse, vnicum, & solidum at-

B 3

que



que immotum fidei nostræ fundamentum.

35.

Sic autem ex verbis Christi colligimus atq; concludimus: corpus quod pro nobis in mortem est traditum, est verum & substantiale corpus Iesu Christi; Filius Dei disertè adfirmat, panem benedictum, quem nobis in sacra cœna exhibet manducandum, esse suum corpus, quod pro nobis detur: Luc. 22. Ergo Christo filio Dei teste omni exceptione maiore, panis benedictus in cœna est verum & substantiale corpus Iesu Christi.

36.

Crassa & impudens corruptela est quorundam Sacramentariorum, qui vt eludant clarissimam Christi interpretationem, relatiuum Quod, exponunt, Quatenus, pro vobis datur: non enim hic de modo sed de substantia ipsa agit: hoc ipsum corpus, quod pro vobis datur in mortem, exhibeo vobis manducandum.

37.

Sanguis noui Testamenti, & qui pro nobis in remissionem peccatorum est effusus, est verus & substantialis sanguis Iesu Christi: sed Christus diserto ore docet, vinum benedictionis quod nobis exhibet in sacra cœna esse suum sanguinem noui Testamenti, quem effundat pro nobis in remissionem peccatorum: Ergo vinum benedictionis in sacra cœna ex Christi testimonio est verus & substantialis sanguis Iesu Christi,

38.

Nisi & cum & in pane benedicto in sacra cœna daretur nobis verum & substantiale corpus Domini nostri Iesu Christi, Paulus non diceret panem benedictum esse



esse communicationem corporis Christi, sed potius fidei aut spiritui id tribueret; At Paul. i. Cor. 10. dicit: Panem benedictum esse communicationem corporis Christi: ergo cum & in pane benedicto in sacra cœna datur nobis verum & substantiale corpus Domini nostri Iesu Christi.

39.

Si corpus & sanguis Iesu Christi non essent verè & substantialiter præsentia in sacra cœna, indignè manducantes non fierent edendo & bibendo rei & corporis & sanguinis Christi: At teste Paulo indignè manducantes hunc panem, & bibentes hoc vinum, fiunt rei corporis & sanguinis Iesu Christi, ipso esu & usu Eucharistię, & quod Domini corpus non discernunt à communibus cibis; ergo in sacra cœna, quæ iuxta institutionem Domini administratur, verum corpus & verus sanguis Iesu Christi, verè & substantialiter præsentia sunt.

40.

Hæc sunt sententiæ & confessionis nostræ de præsentia corporis & sanguinis Christi in sacra cœna solida & immota fundamenta: quæ hæctenus à nostris aduersarijs euerfa non sunt, neque deinceps euerti poterunt: quantumuis sese fatigent cauillationibus.

41.

De veritate verborum Christi dubitationem admittere, nefas esse censemus.

42.

Si quis in controuersiam vocet, num possit Deus ea re ipsa præstare, quæ expresso verbo promisit ac denunciavit, is se inuoluit extremo impietatis scelere:

Apud



Apud Deum enim non est impossibile vllum verbum,  
Luc. cap. i.

43.

Omnes verè pij haud dubiè detestantur, Theodori  
Bezæ & Petri Martyris blasphemiam, qua adferunt,  
Deum omni sua vi efficere non posse vt vnum corpus,  
manente substantia eius, sit in diuersis, aut pluribus  
locis.

44

Carolo stadij corruptela verborum Christi adeò  
crassa & manifesta est, vt ab ipso Caluino & Sacramen-  
tarijs repudietur: finxit enim pronomen τῆτο non ad  
panem, sed ad corpus Christi esse referendum, hoc modo:  
Hoc quod hîc sedet, est corpus meum, quod pro vobis  
datur: Ergo verba hæc nihil ad panem pertinere vo-  
luit: sed cum postea additur τῆτο τὸ ποτήριον manifestè  
refellitur.

45.

Corruptelam Zvvinglij, qui in verbis institutionis  
cœnæ, hoc est corpus meum, contendit, copulam: est:  
accipiendam esse pro significat; vt humani cerebri in-  
uentum improbamus: Nam apud Lucam, cum de ca-  
lice agit, non exprimitur copula: est: sed dicitur, τῆτο τὸ  
ποτήριον ἢ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματι μῆ. Hic calix nouum Te-  
stamentum in meo sanguine.

46.

Neque Oecolampadij violentæ interpretationi, qui  
corpus exponit signum corporis Christi, assentimur:  
Cristus .n. diferta sua expositione, quam addidit: Hoc  
est corpus meum, quod pro vobis datur, validissimè re-  
futatur.



futat illam corruptelam : siquidem signum corporis Christi pro nostris peccatis non est datum : sed verum & substantiale corpus, quod in cruce pependit.

47.

Iohannis Caluini & Bezae μετανομήα merito exploditur ex Ecclesia: idem enim ferè vult, quod Oecolampadij commentum: Panem dici corpus Christi: quia sit Symbolon absentis corporis.

48.

Quod fingit Calvinus in sacra coena non ipsam substantiam corporis & sanguinis Christi: sed tantum corporis & sanguinis Christi vim, meritum, efficaciam, virtutem & spiritum impertiri Eucharistiam sumentibus, sanæ & orthodoxæ doctrinæ Spiritus sancti aduersatur.

49.

Erroneum quoque est, quod Calvinus & Beza adserunt, ipsam corporis & sanguinis Christi substantiam, tam procul abesse à Symbolis, quæ in terris administrantur, quam sint remotissimi coeli à terris. Quando Calvinus & Beza adserunt, ipsam substantiam veri corporis & sanguinis Christi verè adesse in sacra coena, meræ sunt præstigix. Intelligunt enim coenam fide in coelum sublata peragi: à symbolis & à nobis qui in terra sumus, corporis & sanguinis Christi substantiam longissimè distitam esse, pertinaciter contendunt. Fucus igitur est, quem incautis faciunt.

51

Hallucinatur Calvinus cum suo Beza, quod adserit: corpus & sanguinem Christi in Eucharistia fidei tantum corde, non autem ore corporis sumi.

C

Qui



52.

Qui contendunt indignos, h. e. hypocritas & sinceræ fidei expertes, cum Eucharistiam sumunt, in reliquo piorum cœtu, non manducare verum corpus Christi: neque sanguinem eius bibere: sed tantum symbolum accipere, nimirum panem & vinum, disertissimis Apostoli Pauli verbis temerè contradicunt.

53.

Neque Pauli Eberi nouum commentum, quo adserit, eos quidem qui saltem historica fide sint præditi participes fieri corporis & sanguinis Christi in sacra cœna: At palàm atheos, profanos, Epicureos & impios tantum accipere panem & vinum, orthodoxæ veritati consentaneum est. Paulus enim indignos vocat sine veris pœnitentiæ motibus ad Eucharistiam accedentes, siue sint hypocritæ siue sint Epicurei.

54.

Ambiguæ voces in Ecclesia planè & perspicuè interpretandæ sunt: ne vlla fraus vel dolus occultari possit. Cum adseritur Eucharistiam spirituales esse cibum; & corpus Christi spiritualiter manducari, facile id largimur sano intellectu. Non enim est naturalis vel corporalis, sed mysticus, vt veteres dixerunt: ita tamen vt corporis & sanguinis Christi substantia verè adsit in sacra cœna, quæ in terris administratur. Cum aduersarij infidias tendunt in voce: & spirituales manducationem eam solùm intelligunt, quæ fit fide, mente in cœlum sublata, licet corpus Christi remotissimè à nobis sit distitum; Atque ita veram corporis præsentiam è cœna elidere conantur, neque candidè nobiscum agunt: neque veritati student.

Non



Non est satis quando Calviniani dicunt: Christus verè & substantialiter adest in coena Domini: Hanc enim phrasin intelligunt per communicationem idiomatum de sola Diuinitate, quæ adfit verè & substantialiter: Corpus autem Christi volunt vno loco cœli contineri: & apud nos in terris, vbi coena administratur, nequaquam præsens esse: neque vnà cum symbolis ore sumi corpus Christi.

Quod si acrius pressi concesserint corpus & sanguinem Christi in sacra coena verè & realiter adesse: latet & hic dolus: intelligunt enim fidei, quæ in cælum vsq, se effert, atque ibi corpus & sanguinem Christi adprehendit verè præsens esse corpus Christi: licet absit quàm remotissimè à symbolo pane. Hanc enim regulam inueniunt Cingliani: quæ re ipsa sunt remotissima, illa fidei nihilominus sunt præsentissima.

Quod Lutherus adfirmat corporaliter manducari carnem Christi in coena, non vult intelligi corporali modo, vel Capernaitica laniena: sed de vera præsentia corporis Christi: quod ipsa corporis substantia reuera detur nobis Eucharistia vtentibus.

Ingenuè fatemur nos modum, quo adfit & detur in coena corpus Christi ad mensam Domini accedentibus, ignorare: & acie mentis in hac vita comprehendi non posse: tantùm adserimus verè adesse: nobis dari: & à nobis substantiam corporis percipi: Quia religio no-  
C 2 bis est



bis est perspicua CHRISTI verba in dubium vocare.

59.

Etsi enim nos luce rationis inuestigare nequimus, quomodo verum, naturale, & substantiale corpus, passim vbicunque sacra coena administratur, verè exhiberi possit: decet tamen nos fidem adhibere vnigenito Dei filio, quod præstare possit, quæ disertè adseueravit: siquidem potentia eius nullis limitibus circumscripta est.

60.

In rebus Physicis & huius mundi elementis valeat: Vnum corpus non existere in pluribus locis: At omnipotenti Deo Physicas leges tanquam compedes iniicere velle, magnæ est stoliditatis: nec minoris impietatis.

61.

Neque nos Augustino vllam facimus iniuriam, si eius epistolas à sublimi authoritate sacrosanctæ scripturæ distinguimus: & sententias ipsius ex verbo Dei, quod est norma veritatis vnica & infallibilis, dijudicamus. Quod ergo in epistola ad Dardanum dicit: Tolle locorum spacia, & corpora non erunt: apud nos fidem non meretur, neque tanquam fidei articulus defendi potest: si ad euertendam veram præsentiam corporis Christi in sacra coena, contra expressa filij Dei verba, accommodetur.

62,

Toto cœlo errat Calvinus, cum adfirmat, corpus Christi ita contineri cœlo: vt ante vltimum iudicium mundi, apud nos, qui in terra degimus, non existat. Pugnat enim hæc sententia cum manifestis verbis institutionis coenæ Domini. Et



63.

Et cum Euangelista Lucas dicat Actor. 23. Iesum Christum adstitisse Paulo in castris Ierosolymitanis, quæ non in coelis, sed in terris erant; Hanc testificationem Euangelistæ, quæ evidentissimè refellit commentum Calvinini dubium vocare nefas ducimus.

64.

Duplex est corporis Christi manducatio, Sacramentalis seu corporalis: deinde spiritualis. Spiritualis est: quando in veris pœnitentiæ doloribus sincera fide confugimus ad Iesum Christum, qui dedit sanguinem suum *λύτρον* pro nostris peccatis: apprehendimus Euangelij promissionem: & certo statuimus, propter mediatoris mortem remitti nobis peccata; imputari nobis justitiam; & constitui nos hæredes vitæ æternæ. Hæc spiritualis manducatio carnis in usu cœnæ sacrae omnino fieri debet, si cum fructu percipere cupimus Eucharistiam: fieri autem potest etiam extra cœnæ sacrae usum: & fit singulis momentis, quando pij fide recumbunt in promissionem gratiæ, & merita Christi. Ita Patres & Prophetæ in veteri Testamento fide spiritualiter manducarunt, carnem Christi tum nondum natam.

55.

Sacramentalis seu corporalis manducatio carnis Christi est, quæ fit in usu cœnæ: in qua pane benedicto manducamus simul verum & substantiale corpus Iesu Christi; & vino benedicto bibimus verum & substantialem sanguinem eius, non solum fide merita & virtutem atque efficaciam participando: sed etiam ore corporis substantiam carnis & sanguinis CHRISTI sumendo.

C 3

Nullus



Nullus indignus neque hypocrita spiritualiter manducat Christi Carnem : sunt enim fidei expertes : corporaliter verò & Sacramentotenus etiam indigni , seu hypocritæ , qui ad Synaxin accedunt, manducant Christi corpus, & bibunt eius sanguinem.

Hunc duplicem modum manducandi corpus Christi, cum disertis & perspicuis verbis ponat Augustinus, magnæ authoritatis doctor in Ecclesia, testimonium eius omnibus pijs sit notum. Sermo. II. de verbis Domini. Illud etiam quod ait: qui manducat carnem meam: & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo: quomodo intellecturi sumus? Numquid etiam illos hîc poterimus accipere, de quibus dicit Apostolus, quod iudicium sibi manducant & bibant, cum ipsam carnem manducant, & ipsum sanguinem bibant? Numquid & Iudas Magistri venditor, & traditor impius, quamvis primùm ipsum manibus eius confectum Sacramentum carnis & sanguinis eius, cum cæteris discipulis, sicut apertius Lucas Euangelista declarat, manducaret & biberet, mansit in Christo, aut Christus in eo? Multi denique, qui vel corde ficto panem illum manducant & sanguinem bibunt, vel cum manducauerint & biberint apostatæ fiunt, numquid manent in Christo, aut Christus in eis? Sed profecto est quidam modus manducandi illam carnem, & bibendi illum sanguinem, quomodo? qui manducauerit & biberit in CHRISTO manet, & CHRISTVS in eo: Non ergo quocunque modo quisquam manducauerit carnem Christi, & biberit sanguinem Christi, manet in Christo, & in illo Christus:  
sed



sed certo quodam modo, quem modum utique ipse videbat, quando ista dicebat.

68.

Articuli fidei de adscensione IESV CHRISTI ad coelos, & sessione eius ad dexteram Dei, & reditu eius ex coelis ad iudicium, nequaquam impediunt praesentiam corporis & sanguinis Christi in coena Domini, quae in terris administratur. Cum enim IESVS CHRISTVS sit aeternus & omnipotens DEVS, non solum possibile, sed & facile illi est efficere omnia, quae verbo suo reuelavit. Disertè autem docet se ad coelos ascendisse, & sedere ad dexteram DEI, & in sacra coena nobis dare manducandum corpus, quod pro nobis est traditum: & sanguinem suum nobis dare bibendum, quem in remissionem nostrorum peccatorum effudit: ergo nefas est de hisce articulis dubitationem admittere.

69.

Fidei verae intuenti dei infinitam sapientiam & potentiam immensam: & expresso Dei verbo acquiescenti non est difficile ea conciliare, quae rationi quaerenti demonstrationes mathematicas videntur inter se pugnare, aut prorsus impossibilia esse.

70.

Christi corpus quod finitum est, & proprietatibus suis essentialibus constat, Physica locatione in certo & corporali loco in coelo contineri: ita ut in terris apud Ecclesiam, & ubicunquè sacra coena administratur, verè existere non possit, Cingliani & Calviniani ex uniuerso Dei verbo probare in aeternum non possunt.

Augusti-



Augustinus piè & modestè dixit: sed vbi & quomodo sit in cœlo corpus Dominicum, curiosissimum & superuacaneū est quærere: tantummodo in cœlo esse credendum est. Non enim est fragilitatis nostræ cœlorum secreta discutere: sed est nostræ fidei de Domini corporis dignitate sublimia & honesta sapere: Huic sententiæ libenter adsentimur.

Dextera Dei ad quam confidet Iesus Christus Deus & homo, etiam secundum humanam suam carnem, non est locus mundanus, vt Salomo Rex matrem suam; Bersabeam collocavit ad dexteram suam: sed significat summum honorem, felicitatem, gloriam, sublimem maiestatem, & parem cum Deo potestatem, atq; supremum imperium, in omnes creaturas quæ sunt in cœlo & in terra. Sic .n. Apostolus Paul. Eph. i. hunc articulum explicat: suscitans eum ex mortuis, collocavit eum in dextera sua, in cœlestibus super omnem Principatum & potestatem & virtutem, & super omnem dominationem, & super omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc, sed & in futuro seculo: & omnia subiecit sub pedibus eius: & ipsum dedit caput super omnia Ecclesiæ.

Tantum abest vt hi articuli de adscensione Christi ad cœlos: & sessione eius ad dexteram Dei, infringant præsentiam corporis & sanguinis Christi in sacra cœna, vt multò magis probent atque demonstrent, Christo exaltato & in gloriam Diuinam sublato, & ad dexteram Dei collocato perfacile esse, præstare omnia, quæ expresso suo verbo Ecclesiæ suæ denunciauit.

Carnem



Carnem & sanguinem Iesu Christi, licet vnita λόγος vnione personali, & cœlesti gloria ornata atque illustrata, retinere tamen essentielles proprietates humanæ naturæ: h. e. veram manere carnem & verum sanguinem in omni æternitate, extra controuersiam ponimus. Quod verò Calviniani sub prætextu proprietatum humanæ naturæ, fieri posse negant, vt Christi corpus & sanguis verè præsentia sint in sacra cœna, etiamsi filius Dei Iesus Christus disertis verbis id adfirmet; eo manifestam Dei filio laudem diuinæ veritatis derogant.

Non pugnant inter se hæc dogmata seu articuli: Iesus Christus est verus homo constans corpore & anima: ac corpus Christi perpetuo retinet essentielles proprietates: constat dimensione sua; est finitum: habet carnem, ossa, neruos, venas, sanguinem: Et corpus & sanguis Christi verè sunt præsentia in sacra cœna, iuxta perspicua Dei verba. Vtrunque enim adfirmat sacra scriptura: videte & tangite me; quia spiritus carnem & ossa non habet, sicuti me videtis habere: Luc. 24. & Luc. 22. Accipite, comedite, hoc est corpus meum quod pro vobis datur.

Quod Calviniani metuunt, ne veritas corporis Christi negetur, si iuxta perspicua Christi verba adseratur vera præsentia corporis & sanguinis Iesu Christi in sacra cœna, vbicunque illa in terra administratur: inanis metus est ex diffidentia ortus: & cum contumelia Christi coniunctus.

D

Non



77.

Non enim Christo filio Dei difficile est, & veritatem suorum verborum implere: & proprietates essentialis corporis retinere: est enim omnipotens Deus.

78.

Carnem Christi hypostaticè vnitam λόγῳ, collocatam ad dexteram Dei, & illustratam diuina gloria & maiestate, huius mundi legibus subicere, quasi corpus Christi existere non possit, nisi vno tantum loco contineatur, manifesti erroris est: qui ex sacra scriptura defendi non potest.

79.

Sententiam Iesu Christi: Ioan. 6. Caro non prodest quicquam, de carne saluatoris nostri interpretari prohibet pietas: neque doctrina de cœlo patefacta permittit. Nihil enim est preciosius, nihil sanctius, nihil fructuosius, neque vtilius sanctissimo Iesu Christi corpore & sanguine: vt quæ data sunt pro mundi vita: quibus toti Ecclesiæ iustitia & salus impetrata est. Paulus inquit: nos corpore carnis Christi per mortem Deo reconciliatos esse: & sanguine Christi nos iustificatos esse: & Iohann. inquit: Nos sanguine Iesu Christi filij Dei mundari ab omnibus peccatis: Quæ igitur mens est tam prophana, tam ab omni pietate aliena, vt dicere vel cogitare audeat carnem Iesu Christi filij Dei nihil prodesse.

80.

Christus quia carnem in ista concione viuificantis spiritui opposuit, perspicuè ostendit se de carne corrupta & prauo carnis sensu: & de iudicio carnis alieno à  
Spiritus



Spiritus sancti doctrina loqui. Carnalis cogitatio & carnaliticus error de esu carnis Christi nihil prodest.

81.

Concio Christi: Ioan. 6. de manducatione carnis Christi non agit de sacra coena Domini, quæ tum nondum fuit instituta: sed integro anno post mandata est Apostolis: de fide autem concionatur in suam passionem, quam per metaph. vocat carnis suæ manducationem.

82.

Negari non potest Ecclesiasticos scriptores concionem: Ioh. 6. ad doctrinam de coena Domini accommodasse: sed simul fatendum est multos scriptores quædam CHRISTI dicta satis incommodè & impertinenter citasse.

83.

Quod ex verbis Christi, Amen, Amen dico vobis: Nisi comederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habetis vitam in vobis: patres quidam contenderunt infantibus, statim vt Baptismum ceperunt, Eucharistiam dandam esse: errore factum esse non dubitamus: vtque prauo scripturæ intellectu fuit institutum: ita pleniore luce Spiritus sancti in Ecclesia fuit mutatum.

84.

Quemadmodum Iesaias cap. 55. figuratè concionatur de fide intuente promissum mediatorem. & ab eo petente iusticiam & salutem, cum inquit: Vos omnes qui sititis, venite ad aquas: & quibus non est pecunia, adeste, comparate cibum & comedite: ad me venite: audite & viuet anima vestra. Quemadmodū etiam Christus

D 2

Pfal. 22



Pfal. 22. inquit figuratè: Edent pauperes & saturabuntur: & laudabunt Dominum qui requirent eum: viuet cor eorum in seculum seculi. Sic & Christus per methaphoram de fide concionatur: Iohan. 6. ac postulat, vt omnes, qui salutem expetunt, in ipsius passionem, mortem & resurrectionem fiduciam ponant: & statuunt se per & propter Christum saluos fieri. Si quis comederit, inquit, ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Hic Christus carnem suam per methaphoram vocat panem & cibum scilicet spiritualem; fidem verò per methaphoram vocat manducationem. In quam sententiam & Augustinus dicit: Vt quid paras dentes & ventrem: Crede & manducaſti. tract: 25. in Ioan.

85.

Ex dictis Christi Iohan. 16. Relinquo mundum & vado ad Patrem. Item Matth. 26. Pauperes semper habetis vobiscum: me verò non semper habetis: perperam colligunt Sacramentarij, corpus & sanguinem Christi non esse in sacra coena: illa enim dicta hoc volunt, Quod Christus, postquam resurrexit à morte, non versetur nobiscum iuxta huius mundi infirmitates & indigentiam: non sit expositus amplius hominum iniurijs, odijs & contumelijs: non egeat nostris officijs: non versetur nobiscum mundano more: sed quod regnet ex virtute Dei. Hanc esse Christi mentem, patet ex sermone Christi ad Apostolos Luc. 24. vbi post resurrectionem suam stans in medio discipulorum, ait: Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum vobiscum essem. Hic adfirmat se jam reliquisse mundum, cum tamen in medio stet discipulorum.

Nec



Nec minus ineptè argumentantur Sacramentarij ex verbis Christi: hoc facite in mei commemorationem: corpus Christi non esse in cœna præsens: siquidem recordatio non fit præsentium, sed absentium: At filius Dei, vult sui memoriam vsurpari etiam cum præsens esset, & cœnam institueret. Et quid prohiberet rei præsentis recordari? Et cum visibiliter nobiscum non versetur post adscensionem in cœlos, cur non institueret sui recordationem? suæq; passionis & mortis memoriam perpetuam sanciret? falsum est enim quod recordatio non sit, nisi rerum absentium. Petrus præsentis Christi & miraculorum eius memoriam piè conseruat: Iudas sceleratè obliuiscitur. Textus inquit: & recordatus est Petrus sermonis Domini, quem dixerat ad ipsum: Luc. 22.

Nec fanè vlla consequentia est in argumento: quod ex analogia Sacramentorum noui Testamenti texere conantur, dum sic colligunt: Si panis benedictus in cœna Domini est corpus Christi verum: tum & aquam Baptismi verum sanguinem Christi esse oportet. At hoc non est: ergo nec illud.

Nos verò negamus huiusmodi Sacramentorum noui Testamenti analogiam & similitudinem ex verbo Dei monstrari posse, quæ cogat utrobique eandem esse rationem: nusquam enim hæc vniuersalis extat. Quid de Baptismo sentiendum sit, ex verbis sumendum est, quibus Baptismus est institutus: Ita quid de sacra cœna Domini sentiendum sit, ex verbis institutionis peten-



dum est : de Baptismo non est dictum : hæc aqua est sanguis meus : de cœna autem inquit Christus : Hic panis est corpus meum, quod pro vobis datur : Magna igitur differentia & dissimilitudo.

89.

De Sacramentis ex propria cuiusq; institutione & descriptione statuendum esse, certum est.

90.

Malè etiam cohæret argumentum, quo sic colligunt aduersarij : Veteres eadem habuerunt Sacramenta nobiscum, quoad rem & substantiam Sacramentorum, testante Paulo : 1. Cor. 10. Omnes eundem cibum manducauerunt, & eundem potum biberunt : at manna in veteri Testamento non fuit verè corpus Christi : Christus .n. nondum adsumerat carnem : Ergo nec in nouo Testamento panis benedictus est corpus Christi.

91.

In isto paralogismo multiplex est hallucinatio, Quod enim de cœna Domini statuere conantur, ex veterum Sacramentis ineptum & absurdum est : ex propria enim cuiusque Sacramenti institutione statuendum est, quid sit sentiendum. Quid de manna, & de paschate & de circumcisione sentiendum sit, ex Mose discendum est : ex verbis vero institutionis, quæ apud Euangelistas extant, sumendum est : quid de præsentia corporis & sanguinis Christi in sacra cœna sit credendum.

92.

Perperam etiam Pauli verba Calvinus interpretatur : 1. Corinth. 10. dum fingit, patres eandem nobiscum escam comedisse ; & eundem bibisse potum. Paulus enim isto in loco non confert Israelitas nobiscum in nouo Testamento.



Testamento: sed patres illos inter se confert: Omnes, inquit, eandem escam spirituales comederunt: & omnes eundem potum spirituales biberunt: sed in pluribus eorum non bene placitum fuit Deo. Chore, Datan, Abiram eandem escam comederunt cum Mose & Aharon: & tamen hiatus terræ absorpsit Chore & factionem eius.

93.

Paulus manna vocat spirituales cibum: non quod vitam conferret spirituales: sed quod cibus esset miraculosus, quemadmodum Ambrosius rectè exponit.

94.

Bezæ & aliorum sophisma est: Corpus de pane non potest prædicari, nisi per figuram & tropum: eò quod panis & corpus Christi, sint disparata. Verum hallucinatur Beza cum suis Calvinianis, quod tantum duos ponit prædicationum modos, nimirum regularem & figuratum, cum & tertius sit addendus, nimirum inusitatus, & sacræ scripturæ peculiaris. λόγον verbum & carnem disparata esse nemo negare potest: & tamen spiritus S. hac forma loquendi utitur: verbum caro factum est. Hic modus ad regulares prædicationes non congruit: neq; figuram vel tropum hinc admittere possumus: igitur est quidam modus inusitatus: sic cum dicimus, Homo est Deus, disparata de se inuicem prædicant: sic cum Evangelista dicit spiritum S. descendisse in specie columbæ: Spiritus sanctus & columba res sunt disparatæ: & tamen vera est prædicatio: columba erat Spiritus sanctus. Sic inusitatus loquendi modus est in cœnæ verbis: panis benedictus est verum corpus Iesu Christi, & vinum benedictum est verus Christi sanguis: Et cuiusnam est impudentiæ, impietatis & audaciæ, Christo æterno Deo præscribere velle, quomodo eum loqui oporteat de mysterijs



de mysterijs Diuinis, quæ ipsi omnium optimè perspe-  
cta sunt: & quæ ipse diuina authoritate instituit: &  
nisi forma sermonis à Christo tradita ad nostras congru-  
at, vel regulas vel tropos, nolle illi adsentiri?

95.

Sunt & illæ argutiæ Caluinistarum satis ineptæ,  
quando sic colligunt: Sacramenta sunt res externæ &  
res visibiles: Manducatio corporis & sanguinis Christi  
non est res externa neque est visibilis: Ergo manduca-  
tio corporis & sanguinis Christi ad Sacramentum non  
pertinet. An non igitur perspicuè se hîc produnt  
Sacramentarij, quod nuda signa & symbola ponant?  
Manducationem enim corporis Christi ad Sacramen-  
tum non pertinere existimant. Nos autem ad Sophis-  
ma respondemus. Vocabulum Sacramenti non tan-  
tum significat res externas & visibiles actiones: sed  
Eucharistia duabus rebus constat terrena & cœlesti: &  
Eucharistia fanè Sacramentum est: Res cœlestis est i-  
psum corpus Iesu Christi, quod in sacra cœna exhibe-  
tur & manducatur, & verus sanguis, qui bibitur. Cum  
vocabulum Sacramenti tantum ad res externas & actio-  
nes visibiles refertur, de parte tantum Sacramenti dici-  
tur. Certè Baptismus non tantum est adpersio aquæ &  
pronunciatio verborum, sed & ablutio peccatorum: &  
stipulatio bonæ conscientia, quæ sunt res inuisibiles &  
cœlestes. Et quæ nam ista impietas est dicere mandu-  
cationem corporis & sanguinis Christi, nihil ad Eucha-  
ristiam pertinere, cum corpus & sanguis Iesu Christi sit  
pars potissima, vtpote cœlestis, Eucharistia: sed Calui-  
niani, vt hoc sophismate ostendunt, alia Sacramenta  
non agnoscunt, nisi nuda & vacua symbola.

Sic



Sic etiam ineptiunt potius quàm concludunt aduersarij: verum corpus Christi, quod pro nobis est traditum, fuit visibile & palpabile: At in sacra coena Domini corpus Christi non videtur nec palpatur. Ergo neque substantia eius verè adest in coena. Nos verò respondemus, corpus Christi resuscitatum, & gloria illustratum non necesse habet legibus huius mundi subjici: Christi corpus potest verè adesse, etiamsi oculis nostris nō conspiciatur, quando vult Christus: potest se conspiciendum exhibere: vt se Apostolis exhibuit conspiciendum: & contrectandum: quando voluit, euanuit ex oculis discipulorum: & licet præsens esset, conspici tamen non potuit: Luc. 24. Christus in via Damascena conspiciendum se præbebat Paulo: à reliquis Pauli comitibus non conspiciebatur. Quid ergo causæ esset, cur hic omnipotens Deus non posset corpus suum dare in coena inuisibile & impalpabile?

Quod rursus objiciunt: Vinum non aliter dicitur sanguis Christi, quam calix à Paulo & Luca dicitur nouum testamentum: At in hac locutione: calix est nouum Testamentum, metonymia est. Calix enim tantum est signum noui Testamenti, non ipsum nouum Testamentum. Ergo & vinum tantum est signum absentis sanguinis, & non substantialis sanguis Iesu Christi. Hoc sophisma nullo negotio refellitur, *κενιόμαρον* enim in hoc argumento non solum incertum sed & falsum est. Probari ex verbo Dei non potest æquipollentes has propositiones esse: vinum benedictum in coena Domini est sanguis Iesu Christi, & hic calix est nouum Testamentum,

E

tum,



tum. Primùm enim quod calix pro vino ponitur, metonymia est, continens pro contento. Deinde nouum Testamentum, & sanguis noui Testamenti non sunt vnum & idem. Ipsa enim promissio gratiæ, qua Deus in Christo salutem offert credentibus, est nouum illud Testamentum, quod Deus fecit: Sanguis verò Christi est id, quo hoc Testamentum sancitum & confirmatum est. Ad hæc, cum dicitur, vinum benedictum est sanguis Iesu Christi, prædicatio est inusitata. Cum verò dicitur, calix est nouum Testamentum, metonymia est, qua effectus ponitur pro causa, atque sic resoluenda est propositio: In calice continetur, id quo sancitum & confirmatum est nouum Testamentum. Ideoq; mox additum est, in meo sanguine, q. d. ideo voco hunc calicem nouum Testamentum, quia sanguinem meum continet, quo sancitum & confirmatum est nouum Testamentum: illa verò expositio exploditur: Hic calix est nouum Testamentum h. e. est signum noui Testamenti: Aliorum Euangelistarum verba disertè ostendunt, in calice contineri sanguinem Christi, quo fundatum est & stabilitum nouum Testamentum. Cum ergo diuersæ sint loquendi formæ, nullam esse argumenti connexionem omnes sani vident.

98.

Ad cauillum: Promissio tantum fide percipitur: At hæc verba Christi, Hoc est corpus, Christi est promissio: ergo corpus Christi hac præmissione oblatum, tantum fide accipitur. Respondemus longè aliud & plus esse in conclusione quàm in promissis: Sic enim oportebat inferri: ergo promissio, quæ est in verbis cœnæ tantum fide percipitur. At differunt corpus ipsum Christi & promissio



promissio: corpus suum offert Christus in sacra coena, siue homines credant, siue non credant, non enim penitent Sacramenta à dignitate vel indignitate sumentium: At promissionis diuinæ & salutaris efficaciam alienus à fide non fit particeps. Core, Dathan & Abiram manducabant coturnices & manna, & bibebant aquam de petra: & tamen promissioni diuinæ non adsentiebantur, qua res illas promittebat. Hi non erant participes promissionis, non enim credebant: Res ipsas verò bibebant & manducabant.

99.

Multum enim gloriatur aduersarij hoc sophismate; Res spirituales non aliter percipiuntur, nisi spiritu: Corpus Christi est res spiritualis: indigni verò spiritu carent: Ergo corpus Christi non ore, sed fide tantum percipitur, neque ab indignis sed tantum à dignis manducatur. Verum expedita & solida responsio est. Maior concedi potest, nimirum si pauca verba adjicerentur, nimirum cum fructu & ad salutem: Verissimum est enim res spirituales cum fructu & ad salutem non percipi, nisi spiritu & fide vera. Cum verò nudè & simpliciter adseritur, Res spiritualis non percipitur nisi spiritu, *αὐσίτη* est, & valida datur instantia. Perspicuè enim ex verbo Dei demonstratur, multa spiritualia etiam ab illis percipi, qui sunt expertes spiritus, & alieni à fide. Quid spiritualius est sanctissimo Dei verbo de æternis beneficijs mediatoris? & tamen multi impij id audiunt, quibus est odor mortis in mortem. Donum sanandi ægrotos verbo & ejiciendi dæmonia in nomine CHRISTI, res fuit spiritualis; & huius tamen particeps fuit impius Iudas, proditor Domini, carens spiritu & fide.

E 2

fide.



*A* fide. Impius & à spiritu Dei alienus fuit Propheta Bileam: & tamen de eo scriptura testatur, quòd spiritus Dei factus sit super ipsum, quodque præclara de Christo & eius Ecclesia, & de regnorum mutationibus sit vaticinatus. Hoc sanè spirituale fuit donum, & tamen manifesta fuit incantatoris impietas. Maior ergo, qui debebat esse argumenti vinculum, ita nudè non constat.

100.

Ad Caluini sophisma, quod sæpe vrget, & in quo magnam victoriæ spem ponit: corpus Christi nunquam est sine spiritu viuificante: At indigni hypocritæ & infideles non fiunt participes spiritus Christi, nec viuificantur; ergo nec corpus & sanguinem accipiunt in sacra cœna. Ad hoc, inquam, sophisma facilis & expedita nobis est reponso & solida refutatio. Corpus quidem & sanguis Christi nunquam est sine spiritu eius, qui vitam æternam tribuit: Verùm hic spiritus Christi nec omnes viuificat, neque in omnibus operatur salutem. Qui enim non credit in filium, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum: Iohan. 3. Etiam ipsa Christi caro est viuifica, eò quod *λόγος*, qui vita, vnita est: sed non viuificat nisi credentes: Spiritus sanctus cum vbique sit: Psal. 139. & omnia sustentet & repleat etiam in impijs actione generali, vitam tamen æternam tantum credentibus in mediatorem impertit, in impijs iudicium suum ad mortem exercet. Non enim naturaliter agit Spiritus sanctus, vt ignis vrit, sed voluntariè iuxta verbum suum.

101.

*T* Petrus Boquinus hoc argumento est vsus: Matth. 15. Non est bonum sumere panem filiorum & projicere canibus.



nibus. Item Matth. 7. Nolite sanctum dare canibus, neque projicite margaritas ante porcos. Corpus & sanguis Christi est panis filiorum, estq; sanctum, & margarita Ecclesiae: Impij vero & hypocritae sunt canes & porci: Ergo corpus & sanguis Christi dandus non est hypocritis & indignis. Concedimus totum argumentum. Quando pastori noti sunt canes & porci impenitentes, nequaquam illos ad communionem corporis & sanguinis Christi admittere debet: sed iuxta praecipitum Christi omnino arcere, ne communicet peccatis alienis, & ne polluat sanctum Domini. At cum hypocritae simulant poenitentiam: & a pastore iudicari nequeunt, arceri non possunt, & suo periculo indignè edunt de hoc pane. Non autem hinc, quod impij manifesti ab usu coenae Domini sunt arcendi, sequitur, indignos nihil nisi panem sumere: Paulus enim disertè testatur, indignè manducantes hunc panem fieri reos corporis & sanguinis Christi, & sibi iudicium edere: eo quod corpus Domini à reliquis cibis non discernant: & Augustinus adfirmat multos ficto corde ipsam Domini carnem manducare.

102.

Colligit ratio absurda, quae sequantur ex verbis Christi simplici sensu intellectis: si corpus, inquit, in pane, sanguis in calice exhibetur, necessario sequitur diuulsum esse corpus Christi à sanguine. Nam panis & calix locorum spacijs à se inuicem sunt seiuncta: Nos vero respondemus. Quando nobis constat de sententia verborum Christi, nulla absurditate, quae rationi apparet nostram fidem impediri oportere: ratio enim caecutit in rebus diuinis, & Paulus iubet captiuari rationem in

E 3

obsequi-



obsequium Christi: 2. Cor. 10. Quæ enim sunt spiritus Dei, rationi videntur stulticia. Christus haud dubiè nouit, quomodo in pane corpus, in vino sanguinem sine vlla diuulsione & separatione nobis exhibere possit.

103.

Quod Sacramentarij litem nobis mouent de particulis, in, cum, vel sub pane, sine causa fieri censemus, cum patres orthodoxi ante nos his particulis sint vsi: neque aliud velint particulæ, quam Eucharistiam constare duabus rebus: externo Elemento, & re signata æterna scilicet corpore & sanguine Christi vero.

104.

Augustinus rectè ad Neophytos dixit: Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce, hoc accipite in calice, quod effusum est de latere Christi. Ambrosius de mysterijs cap. 9. In illo Sacramento Christus est, quia corpus est Christi: non ergo corporalis est esca, sed spiritualis: corpus est Dei corpus est spirituale. Chrysostronus: 1. Cor. 11. Hom. 13. Eorum autem verborum eiusmodi est sententia: Quod est in calice, id est, quod è latere fluxit: & illius sumus participes. Cyrillus in epistola ad Colosyrium: sacram eius carnem, & preciosum eius sanguinem in benedictione viuifica accipimus in pane & vino. Et Tertullianus in lib. de Orat. Tum quod & corpus eius in pane censetur.

105.

Particulam Subvsurpauit Hilarius lib. 8: de Triint. Si verè verbum caro factum est: & nos verè verbum carnem cibo dominico sumimus, quomodo non naturaliter in nobis manere existimandus est? Qui & naturam carnis nostræ iam inseparabilem sibi, homo natus, adsumfit:



fit: & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub Sacramento nobis communicandę carnis admiscuit. Ita enim omnes sumus, quod & in Christo pater est, & Christus in nobis est. Si verè igitur carnem corporis nostri Christus adsumsit, & verè homo ille, qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosq; verè sub mysterio carnem corporis sui sumimus: & per hoc vnum erimus, quia pater est in eo, & ille in nobis, quomodo voluntatis vnitas adferitur, cum naturalis per Sacramentum proprietates perfectę Sacramentum sit vnitatis? Et Cyprianus de cœna Domini: Panem angelorum sub Sacramento manducamus in terris: eundem sine Sacramento manifestius edemus in coelis.

106.

Etsi autem hæ phrasæ in orthodoxis patribus sæpe occurrunt: non tamen de illis admodum pugnaremus, si de ipsa sana sententia conueniret: Distinguimus enim inter humanas loquendi formas, & inter sermonem ipsius Dei ore prolatum, nobisq; præscriptum.

107.

Optima, commodissima, tutissima & explicatissima loquendi forma in hac controuersia, est: Panis benedictus in sacra cœna est corpus Iesu Christi, quod pro nobis est traditum: vinum benedictum in sacra cœna est sanguis Iesu Christi, qui in remissionem nostrorum peccatorum est effusus.

108.

Eodem sensu à Paulo Apostolo dictum est. Panis benedictus est, *κοινωνία* cõmunicatio corporis Christi, & vinum benedictum est, *κοινωνία* cõmunicatio sanguinis Christi.

109.

Cũ in nostris ecclesijs adseueramus panem benedictum in sacra cœna esse verum & substantiale corpus Iesu Christi  
&



& vinum benedictum in sacra coena esse verum & substantialem sanguinem Iesu Christi, nihil addimus verbis Christi, sed illis ipsis insistimus & nitimur, cum enim Christus verba sua sic explicet, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis in remissionem peccatorum effunditur, de vero & substantiali suo corpore, & de vero & substantiali suo sanguine loquitur.

II 0.

Vox *κοινωνία* apud Paulum 1. Cor. 10. non significat societatem, vt aliqui perperam interpretantur: sed participationem & communicationem: & idem valet quod *μετοχή* participatio.

III.

Cum dicit Paulus: Panis quem frangimus, est communicatio corporis Christi. Horum verborum hæc est sententia: Quotquot in vsu sacrae coenæ de hoc pane communicant, hi fiunt veri corporis Christi participes: sic cum dicit: calix quem benedicimus, est communicatio sanguinis Christi: horum verborum hæc est sententia: Quotquot de vino benedicto in sacra coena communicant, hi fiunt participes veri sanguinis I E S V Christi.

II 2.

Qui verba Pauli, panis benedictus est *κοινωνία* corporis Christi sic interpretantur. Panis est id, quo fit societas cum corpore Christi, deprauant Apostoli verba: & eis falsam adfingunt sententiam.

II 3.

Nec audiendi sunt Calviniani, qui verba Pauli de spiritu-



spirituali & viuifica communicatione & societate cum Christo exponunt: cum Paulus de Sacramentali participatione loquatur, quæ pijs & hypocritis communis est.

115.

Indignos enim, impios & hypocritas deterrere voluit à prophano vsu & perceptione cœnæ Domini: Si Paulus ad Cor. 10. tantum de spirituali κοινωνία & consociatione cum corpore est locutus, cur à perceptione perteruit indignos. Spiritualis enim consociatio nunquam obest, sed semper salutaris est: & cum multi impij & indigni edant panem Eucharistiæ, num & illi spiritualiter consociantur cum corpore Christi? siquidem panis benedictus est κοινωνία corporis Christi.

116.

Modus loquendi inusitatus est: ideoque neq; regularis, neque figuratus, neque tropicus: Vt enim Deus res nouas, inusitatas, & rationi humanæ ignotas patefacit: ita & nouas, & inusitatas loquendi formas nobis præscribit.

117.

Res noua, inusitata, & toti rationi incognita & incomprehensibilis est personalis vnio duarum naturarum diuinæ & humanæ in Christo: Nouo itaque & inusitato loquendi modo res hæc admiranda enunciatur: verbum, inquit Ioannes Euangelista, caro factum: hîc figura vel tropus non est admittendus: neque etiam regularis est loquendi modus, sed inusitatus.

118.

Decimus articulus in Augustana confessione, qui his verbis est positus: De cœna Domini docent, quod cor-

F

pus



pus & sanguis Christi verè adsint & distribuuntur vescentibus in cœna Domini, & improbant secus docentes: veram & realem præsentiam corporis & sanguinis Christi in sacra cœna, quæ in terris administratur adstruit, atque adeò dissentit à corruptela Zvinglij, Caluini & Bezæ, vt eorum opinionem erroris condemnet.

118.

Præcipui & plerique orthodoxi patres & scriptores Ecclesiastici alieni fuerunt à prophana Cinglij & Caluini corruptela, de absentia corporis & sanguinis Christi à cœna, Piè autem & vnanimi consensu, adseruerunt veram & realem præsentiam veri corporis & veri sanguinis Domini nostri Iesu Christi in sacra cœna, quæ hic in terris administratur.

119.

Tantum Iustini Martyris, Irænei & Augustini pauca testimonia adscribam, quæ nulla sophistica eludi possunt, ex quibus reliqua æstimare licet. Iust. Apol. 2. sic inquit: Non enim vt communem panem, neq, vt communem potum ista sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Seruator noster Iesus Christus, & carnem & sanguinem salutis nostræ causa habuit: ad eundem modum etiam eam, in qua per preces verbi eius ab ipso profecti gratiæ actæ sunt, alimoniam, vnde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius I E S V carnem & sanguinem esse edocti sumus. Expressè hîc adfirmat Iustinus: Panem benedictum in sacra cœna esse incarnati I E S V C H R I S T I carnem, & vinum benedictum esse incarnati Iesu Christi sanguinem.

Iræneus



Iræneus lib. 4. cap. 36. inquit, Quemadmodum enim, qui est à terra panis percipiens vocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans terrena & cœlesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia spem resurrectionis habentia. Cum Iustinus & Iræneus, qui eodem tempore docuerunt Ecclesiam, & præcipui fuerunt sua ætate Ecclesiæ Doctores, iisdem prope modum verbis doctrinam de præsentia corporis & sanguinis Christi in sacra cœna posuerint suis auditoribus; satis apparet quæ tum fuerit Ecclesiæ doctrina de cœna Domini.

Augustinus in lib. sententiarum: Prosper, inquit, de consecrat. dist. 2. Hoc est quod dicimus, quod nobis omnibus adprobare contendimus, sacrificium Ecclesiæ duobus modis confici, duobus constare, visibili Elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine, & Sacramento, & re Sacramenti, id est, corpore Christi: sicut Christi persona constat & conficitur ex Deo & homine: cum ipse Christus verus sit Deus & verus sit homo, quia omnis res illarum rerum naturam & veritatem in se continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem Sacrificium Ecclesiæ duobus, Sacramento & re Sacramenti in corpore .i. Christi. Est igitur Sacramentum, & res Sacramenti corpus Christi.

Disertè etiam adfirmat Augustinus indignos: h. e. Hypocritas & impios vtentes sacra Synaxi, manducare carnem & bibere sanguinè Christi, contra Donatistas de



Baptif. lib. 5. Sicuti Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo locum in se præbuit Diabolo: sic indignè quisq; sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, vt quia ipse malus est, malum sit: aut, quia non ad salutem accepit, nihil acceperit. Corpus enim Domini, & sanguis Domini nihilominus etiam illis erat, quibus dicebat Apostolus: Qui manducat indignè, iudicium sibi manducat ac bibit.

124.

Quod aliqui ex scriptoribus Ecclesiasticis Sacramentum altaris adpellarunt signum, symbolum, *αντίτυπον*, figuram; hinc colligi non debet, negasse eos veram præsentiam corporis & sanguinis Christi in sacra cœna: Intelligunt enim panem & vinum esse symbola, signa & antitypa non absentis, sed præsentis corporis & sanguinis Christi.

125.

Nec tamen negamus quosdam scriptores in doctrina de cœna Domini intempestiuis & inconcinnis lusisse Allegorijs: vt in Clemente Alexandrino, & in Origene legimus: At horum scriptorum ea authoritas in Ecclesia non est, vt possit aut debeat infringere veritatem verborum Christi.

126.

Cum enim & perspicuis verbi diuini testimonijs, & ex probata antiquitate manifestum sit, panem benedictum esse verum corpus Iesu Christi, non immeritò felicitis memoriæ vir Martinus Lutherus censuit Cinglianos, qui negant panem benedictum in sacra cœna esse verum corpus Iesu Christi, pro damnatis hæreticis, & membris à corpore Ecclesiæ separatis habendos esse.

Audaci-



127.

Audaciam Pontificum Romanorum, qui plebi calicis vsu interdixerunt: & nefando sacrilegio coenam Domini mutilarunt: vt impiam & institutioni filij Dei Iesu Christi contrariam detestamur: & Antichristi notam esse non dubitamus.

118.

Panis consecrati repositionem, circumgestationem, adorationem, vt idolatricam, & impiam, & nullo sacrae scripturae fundamento nitentem, rejicimus & explo-  
dimus.

129.

Impium & sceleratum est panem & vinum Eucharistiae offerre Deo pro viuis & mortuis, & pro salute animarum: vnica enim oblatione Christus consumauit sanctos: neque in hunc vsu sacram suam coenam filius Dei Dominus noster Iesus Christus instituit.

130.

Coenam Domini prodesse sumentibus ex opere operato, vt Pontificij loquuntur, detestabilis est error: seriam enim poenitentiam & fidem requirit Deus à singulis.

131.

Vt in pijs, qui fide sincera ad sacram Synaxin accedunt, & dignè edunt de hoc pane & vino, efficax est Deus suo spiritu ad ipsorum confirmationem & consolationem, ad incrementum donorum & viuificationem: ita in eis, qui indignè edunt de hoc pane, & indignè bibunt de hoc calice: h. e. qui sine poenitentia, fide simulata, & corde ficto Eucharistiam sumunt, iudicium suum exercet & poenis aeternis nisi rescipiant, eos destinat.

F 3

De



## De finibus cœnæ Dominicæ.

Præcipuè in hunc finem filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, sacram suam cœnam instituit, vt corpore & sanguine suo nobis obsignaret, promissionem de gratuita cum cœlo reconciliatione & donatione vitæ æternæ, & immensi sui erga nos amoris pignus certissimum apud nos deponeret, quod omnia nostræ salutis causa suscepisset, sustinuisset, passus esset, fecisset, quodq; in nobis habitare, nos sibi arctissimè copulare, & ad vitam æternam sustentare velit.

## 132.

Finem hunc verba nobis ostendunt: hoc facite in commemorationem meam: Perpetuum enim hoc voluit esse *μνημόσυνον*, quo memoria passionis & mortis ipsius pro nobis susceptæ nobis renouaretur, atque ita fides in ipsum in nobis aleretur, confirmaretur, augetur.

## 133.

Est ergo sacra Domini cœna medium, quo singulis applicatur promissio gratiæ, quo etiam fides in nobis alitur & augetur, & quo Spiritus sanctus salutem in nobis operatur.

## 134.

Vt Petrus Baptismum vocat *ἐπιβάπτισμα* stipulationem bonæ conscientiæ erga Deum: ita rectè & sacram Synaxin sigillum iusticiæ fidei, & pignus reconciliationis cum Deo adpellare possumus.

## 135.

Hoc quoque sine instituta est cœna, vt sit neruus publicorum



blicorum congressuum in Ecclesia, vnde Paulus inquit & conuenientibus vobis: Vult Deus publicum esse ministerium & conuentus publicos, in quibus vox Euangelij sonet, & Deo gratiæ agantur, & veritati testimonium agatur. Hi publici conuentus sine externo aliquo ritu & ceremonia non potuerunt peragi: Sacram ergo hanc coenam instituit, vt hoc quasi vinculo fideles inter se deuincirentur.

136.

Ad hæc institutæ Dominicæ finis est, vt tessera sit & Symbolum publicum discernens sanctam Dei Ecclesiam ab alijs idolatricis & blasphemis coetibus, qui in morte & resurrectione Iesu Christi salutis spem non ponunt.

137.

Sacra coena Domini admonet nos mutuæ dilectionis, & studium tuendæ concordia nobis commendat: vt .n. de vno pane participamus omnes, & Christus se præbet nobis singulis manducandum, vt in singulis habitet: & singulos spiritu suo viuificet: ita vult nos omnes vnius corporis esse membra, ab vno pendere capite, ab vno duci spiritu, & mutuo amore inter nos deuinctos & conglutinatos esse.

138.

Ipsa etiam sacra coena præbet nobis occasionem edendæ confessionis, testificandæ fidei, exercendæ pietatis, declarandæ dilectionis erga proximum, celebrandi laudes Dei, & publicè agendi gratias Deo pro immensis eius beneficijs, & alios inuitandi ad agnitionem veritatis.

139.

Veteres quoque rectè ex Eucharistia collegerunt corporum nostrorum resurrectionem: vt enim Paulus ex eo, quod Spiritus Christi habitat in nobis in hac vita, ratiocinatur Deum corpora nostra resuscitaturum esse; propter



propter inhabitantem spiritum : ita dubium non est, cum corpora nostra in sacra Synaxi participant de viuifica Christi carne & sanguine, quin ad vitam æternam sint resurrectura. Hinc Iræneus lib. 4. cap. 44. inquit: Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem deuenire, & non percipere vitam, quæ à corpore & sanguine Domini alitur? Quemadmodum qui est à terra panis percipiens vocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus consistens: sic & corpora nostra, percipientia Eucharistiam iam non sunt corruptibilia.

I40.

Aeternum atque vnigenitum Dei filium Dominum nostrum Iesum Christum, fontem omnis veritatis, causam vniuersæ nostræ salutis, & authorem huius sacrosanctæ coenæ precamur, vt doceat, regat, & illuminet nos perpetuo suo sancto Spiritu: vt doctrinam ab ipso reuelatam constanter tueamur, vsque ad extremum vitæ halitum: ab omnibus profanis opinionibus toto pectore abhorreamus: in agnitione Dei & dilectione Christi, & studio pietatis semper crescamus, atque omnia ad nominis diuini gloriam referamus, Amen.



*F I N I S.*








AKT: 1282

X2212189

A.C.







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

POSITIONES

RA PRÆ  
CORPORIS  
VINIS IESV

TI, IN COE-  
Domini,

Quas

E, ET SPIRITVM  
gente, defendet Tilemanus  
neologie D. & Profef.  
tri Acad. Iulia.

spondente

VIRO DOMINO  
Ecclesiae, quæ est Helmstadij  
nsequendo gradu Do-  
m in Theol.

. Octob.



MSTADII  
Lucij Transyluani.  
LXXXII.

*Dist. III, 799*